

AK 268, 12. x 212 5074

125.  
Z d  
6658

ELOGIUM RÖBERIANUM.

Quod

*Brevi institutâ conveniēs*

inter

Quatuor Præcipuos Ecclesiæ Doctores

*Et Beatissimum*

DN. PAULUM RÖBERUM,

Theol. D. PP. Witteb. Eccl. Pastorem, Consi-  
storij Eccles. Assessor. & Electoratus Saxonici  
Superint. General.

Virum de orthodoxâ Ecclesiâ optimè meritum.

*Carminè Heroico Contextum,*

*de Academicâ cathedrâ*

A. C. M. DC. LII.

*Ad d. XIIIX. Martij, qui anno antè Præsuli  
Reverendiss. mo novissimus fuit in terris.*


parentationis instar recitavit

M. JACOBUS REICHMANNUS,

Kemberg. S. Witteb. C-R.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.





V I R I S

*Magnifico, Maximè Reverendis, Amplissimis,*

**Dn. JACOBO WELLERO,**

SS. Theol. Doct. celeberrimo, Sereniss. ac

Potentiss. Electori Saxoniae à Concionibus prima-

riis, Confessionibus Sacris & Consiliis

Ecclesiasticis;

**Dn. M. PAULO RÖBERO,**

Ecclesiae Brunsvicensis ad D. Catharinae

Pastori vigilantissimo.

*Dominis Patronis ac Promotoribus suis humillimo  
animo colendis,*

Nec non

*Humanissimo ac Doctissimo Juveni,*

**DN. PAULO PHILIPPO**

**RÖBERO,** Humanarum Artium ac Lingua-

rum Studioso, Eiq; Virtutum Paternarum Hæredi

dignissimo, gnavo suo antihac Discipulo,

Hanc Parentationem

*L. Mq; offert*

M. Jacobus Reichman.

RECTOR  
ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS  
MICHAEL SENNERTUS,  
MEDICINÆ DOCTOR ET PROF.  
PUBLICUS,  
CIVIBUS ACADEMICIS  
S. P. D.

**H** St mensis Martius ipse  
feralis ille ac tristis, qui urbi ac Aca-  
demix nostræ haud tantum, sed toti  
etiam Electorali circulo, quin uni-  
versæ, quæ patet, orthodoxæ Ecclesiæ ater ac luctu-  
osus, si quisquam alius, superiori anno affulsit.  
Ad Jovis enim proximum diem procedet conver-  
sa in se inauspicata illa lux, quæ PAULUM RO-  
BERUM, Summum & meritis maximis illustrem  
Virum, hausit juxtâ ac eripuit terris. Cujus post  
excessum etsi præclara de eo multa pro suggestu  
atque de Academica cathedra ex ipsoque loco illo  
dicta luculenter ac perquam copiosè sint; non est  
tanta tamen ullius mortalium futura unquam di-  
fertitudo atque dicendi vis, quæ condignè latis ex-  
plicare, nedum æquare oratione valeat ea omnia,  
quæ in amplissimum hunc virum, quasi in alte-  
rum aliquem eruditionis ac virtutis omnis ocea-

num confluxerunt. Itaq; non tam absoluturus istam, ut ita loquamur, telam, quam nemo temere pertextet, quam pietati privatae suae satisfacturus ex parte Praestantissimus Vir, M. JACOBUS REICHMANNUS, Oppidanæ Scholæ Conrector, conscripsit domi suæ Heroicum carmen, quo omnem Reverendissimi Præfulis vitam ingeniosè quidem, cæterùm per summa tantùm capita est complexus non modò; verùm in quo id etiam egit præcipuè, ut institutâ cum Divis Patrib; GREGORIO ac HIERONYMO atque AMBROSIO & AUGUSTINO, comparatione ostenderet, sanctissimis istis Ecclesiarum occidentalium Antistitibus hominem non minorem gessisse ROBERUM. Quam pulcherrimi instituti sui rationem ita quidem est executus noster, ut sicut in Ambrosio eloquentiæ incredibilis robur, sed illud concinnâ tamen suavitate perfusum totum, nec non spiritum sanctissimi Viri planè heroicum; in Gregorio autem ipso humanitatem summam sibi maximè notavit: ita in Augustino ingenij excellentissimi vim ac doctrinam; in Hieronymo deniq; laboribus infinitis parem tolerantiam fuerit sequutus præcipuè & miratus. Quæ omnia quàm infederint penitus in ROBERO ac eluxerint, prout carmine erudito & eleganti ac apto docet  
Reich-

**REICHMANNUS**; sic juxtâ boni Poëtæ abundè  
 explet partes, quam laudem in utrâq; literatura,  
 prætermulta alia doctrinæ ac virtutis singularis  
 verissima encomia, jam dudum sibi propriam fe-  
 cit; & exolvit se pariter religione, quâ se obstrictum  
 venerabili Seni, dum viveret, nunquam præter-  
 mittit cogitare. Idem propemodum agens quod  
 in antiquâ est formulâ *εἶπε παισὶ χρήσιμα πολλά, μεγάλη  
 χάρις αὐτῷ.* Quocircâ cum impetratâ à nobis ve-  
 niâ recitaturus publicè ad prædictum Jovis diem  
 Horâ ipsâ **IX. REICHMANNUS** sit, quicquid  
 meditatus in eam rem præclarè est; Vos adhorta-  
 mur, **ACADEMICI CIVES**, ut consueto tali-  
 bus acroasibus loco frèquentes conveniatis, ope-  
 ram navaturi benignam non tam dicturo ipsi,  
 quàm illi, de quo verba facienda sunt. Cui nun-  
 quam tantum rependere licebit gratiarum ac re-  
 verentiæ, quod non excellentia ejus merita vin-  
 cant longè & excedant. Accùm in laudibus Am-  
 plissimi Viri versatura tota numerosa illa recitatio  
 sit, accipietis non inania certè, & quæ de gravissi-  
 mis rebus monere non insalubriter possint. *οὐδεὶς  
 ἀγαθὸς ἀξιοθρήνων: ἀλλ' ὕμνων καὶ ἐπαίνων, ἔδὲ πένθους, ἀλλὰ  
 μνήμης εὐκλεῆς.* *Nemo bonus gemitu dignus est, sed hymnis &  
 laudibus; neq; luctu, sed honorabili recordatione.* **P. P.**  
**Dominicâ REMINISCERE, Anno recuperatæ**  
**gratiæ cl. 1702 LII.**

**D**enuò & hos lessûs, & amaro condita fletu  
Carmina, squalenti datur exonerare Ca-  
menâ,

Invenit sua verba dolor, quæ prima negabat  
Tempestat, ROBERE, tui cum funeris inter  
Triste ministerium longas iterare querelas,  
Et cineres propter tentarem inflectere voces.

Nempe percusso vibratur ut æthere ful-  
men

Numinis irati, terrasq; fragore pererrat,  
Externati hærent populi formidine primùm,  
Mens videt & nescit partes divisâ per omnes,  
Vox & lingua stupet, mutantur vultus & ora:  
Paulatim ac redijt animus, vox reddita linguæ,  
Ingeminant questus, edunt monumenta pavoris,  
Alter in alterius gremium sua damna refundit;

Ac veluti in mœsto Genitoris funere, Natus  
Exanimis prono super oscula labitur ore;  
Nunc repetit gemitûs, nunc fletibus irrigat artus,  
Nec quicquam incusat crudelia fata, suamq;  
Deplorat sortem, properataq; licia clamat:  
Mene fugis, Pater, aufugis, ah! pater optime, mene  
Deseris? & summo si quis super halitus errat,  
Ore legit, gemit exequias, pia lumina signat:  
Alter eras ROBERE, mihi Pater, ipse levare

Hæte-

Haecenus hospitio patrociniq; Camenas  
Dignatus multos annos, (ad surgite Musæ  
Patroni ad nomen, devotæ exolvite grates)  
Occidis at! ROBERE, parens ah! occidis alter,  
Non ego te cernam posthac ROBERE, nec istud  
Osculer ambrosium os, quo nos animare solebas,  
Et non in lacrimas irem, luctusq; perennes,  
Solverer? ite pij fletus, lacrimæ, ite querelæ,  
Jacturæ testes cedris transmittite versus,  
Ilicet in fluvios plorabilium lacrimarum.

Attamen ingenij potius magmenta q; honorũ  
Commemorare juvat, tristemq; his pascere men-  
tem,

Has tibi promeritis, pro quo me amplexus amore  
Proq; tot innumeris celebrabo melismate laudes.

Huc igitur sancti manes, pars aurea Cœli  
Humanis surrepta plagis, mundoq; beatorum  
Addita, ceu supero sidus quod defuit orbi,  
Si quis adhuc nostri super est tibi sensus, adesto,  
Percipe lugubres gemitus, hoc funebre murmur  
Ad tumulum quod frango tuum, supremaq;  
Musæ

Accipe justa meæ, cara ad monumenta gementis,  
Annalesq; tibi meritò instaurantis honores.

Vos Academiae proceres, celebrisq; Senatũs,  
Primus honorato qui prostas agmine, Rector,  
Dux-

Duxq; caputq; manus Rector venerabilis hujus;  
Nec minus augusti, clarissima sidera, Patres,  
Sive Professorum sint vobis munera curæ,  
Sive Electoris nostri concessa potestas;  
Cætera Doctorum, venerandaq; nomina celsa,  
Quos virtus, quos fama citis super astra quadrigis  
Evehit, (ô ego tam felix, quam pronus adusq;  
Sum cultor vestri, jam disceret ultima Thule,  
Plurima me vobis debere, ac fausta precari.)

Flos Patriæ sperata salus, selecta corona,  
Ore favete precor, faciles feralibus hisce  
Ferte manus, præbete aures, animate paventem.

Quatuor imprimis numerans veneranda  
vetustas

Illustres pietate Patres, virtute, pariq;  
Doctrinâ, occidui memorat miracula solis,  
Cum quibus hîc tenero diducti Carminis orsu  
Te conferre juvat, ROBERE, simillimum & ipsis.

Qualis, ubi vernis Sol floribus induit, hortos  
Per cunctos cunctatur apis, quæ germina lugat,  
Quæ primùm, quæ deinde legat; nunc suave A-  
maranthi,

Nunc Clyties aurum parvam, nunc dulce rose-  
Allicit, hinc teneris argenta lilia nodis: (tum  
Sic, dum prima tuæ quæro præconia famæ,  
Differor in partes, laudumq; sequentibus orsis  
Obru-



Obruor. AMBROSIUS primus mihi prodeat  
amplo

Nomine. Sed modò summa sequar vestigia rerū.

Et Te quem memorem, Doctor sanctissime?  
quicquid

Dixero, id inferius donis, cui lingua duobus

Funibus innexo longè pendentibus ore

Exijt, in fulvas tandem variata catenas,

Queis potes erectas cupidis sermonibus aures

Adstantis retinere chori, variumq; popellum

Attrahere in doctæ suffragia danda cathedræ.

Quis sic Alcidem in sacrâ stantem æde me-  
tallo

Effictum Myronis opus, dulcedine novit

Præsentes animos trahere in miracula motûs?

Fundi mella putes ex ore, liquentia mella,

Ambrosiumq; melos, Suadamq; insidere labris,

Quæ tacito Patri præludat murmure verba.

Condere seu sit opus, nullo ut de semine totus

Orbis hic atq; alti tabulata nitentia cœli

Senorum spatio fuerint producta dierum,

Seu docto sanctos scripto illustrare Prophetas,

Carmina, vel priscis oracula vatibus orbi

Reddita, vel populis exponere reliqua scripta;

Sive alternatis vicibus retulisse labores

CHRISTI, vel Procerum spectacula mira teatro

B

Expan-

Expandisse, gravi aut sermonis pondere verba  
Pauli Tarsensis memori insculpsisse tabellæ.  
Templa tonant verbis, & doctæ fulmina linguæ  
Constringunt terrore reos, fontesq; repellunt,  
Dux populusve fuat, nullo discrimine ab ipso  
Præsule habebatur. Sacris arcetur ab aris  
Theodosius Princeps orbis, nil illius iras,  
Nil gladios, non tela timet, non aspera cruda  
Instrumenta necis, rapidæq; incendia flammæ.  
Sint aræ hîc Busiri, tuæ, sint arma Procuſte,  
Hîc Præstò, aut tauri candentes igne Perillis,  
Theſſalonicenses indignâ morte peremptos  
Stante habitu mentis clamat, vultuq; severo;  
Tu Cæsar, dixit, fanum prohiberis inire,  
Ante luas quàm grande nefas, veniamq; precatus.  
Tunc impune feres, maculasse heu! sanguine dex-  
Ilicò tune pares sacris succedere tectis, (tram?  
Atq; pijs promissa, Tibi mysteria posces?  
Impie, sis procul, ó procul hinc descende profane.  
Parce ah! culpando quid agis, num perdere  
vitam

Mavis? si nescis, est Cæsaris ampla potestas  
Longa manus? divina loqui verumq; fateri  
Post habitâ audebis mulctâ, letiq; ruinâ?  
Scilicet hunc rapit aura potens, rapit entheus ar-  
dor,

Stat

Stat Regis vulgare scelus, stat vera fateri.  
Omnia Cæsar habet, sunt Cæsaris omnia regna,  
Ille tamen prostratus humi genibusq; volutis  
Aure bibit prona durissima jussa Magistri  
Attonitus, vocem reprimat, mussare nec audet;  
Sed gemitus querulos, & murmura miscet acerba:  
En! aram circum famuli lixæq; dederunt,  
Qui cunas nati Regis præsepe salutant,  
Omnibus exclusus sacris Ego Cæsar oberro.  
Panduntur delubra DEI, sacrisq; litatis  
Innumero circum deducitur ordine vulgus,  
Solvunturq; DEO tanto pro munere grates;  
Et mea me commissa agitant, altaribus arcent,  
Et ferrugineâ contristant gaudia nube?  
Divina hocce volunt venerandi Præfulis ora:  
Tu vexare pios, funestans luctibus urbem,  
Sanguine commaculare manus, nunc templa lu-  
bire?

Non; Nisi pœniteat, veniamq; rogaveris ante.  
O natum imperijs hominem! ô animisq; ligandis,  
Fortunâ atq; suâ majorem, & sceptrâ DEorum  
Dignum ferre manu, cui tanta potentia linguæ!  
O sint *Ambrosij* multi, idem *Theodosiusq;*  
Nec tibi defuerit, lacrimarum gurgite malas  
Perfusus sceleris qui fleret atrocita facta.

Eloquij effigies talis, similisq; labellis

B 2

Vis,

Vis, ROBERE, tuis, rapiens dulcedine cunctos  
Oris ubi pleno Facundia Nectaris imbre  
Pascebatur, ubi sonuerunt guttura voce,  
Linguaq; furaminis pandit sua sensa catenis,  
Enthea prorumpunt miracula cuncta, Salani  
Quæ stupuere chori, quondam dum prima ju-  
ventam

Juratosq; tibi servabat *Porta* capillos,  
*Porta* Dei regnum, Reginaq; *Porta* Dearum.  
Scilicet ingenitæ jam tum virtutis aperte  
Argumenta dabas, crudæq; exordia famæ  
Spondebant majora datis; sic flammea primùm  
Ostendit calices roseos, totosq; minatur  
Ventre tumente toros, mox pulchro flore superba  
Diffusisq; comis, spectacula pandit amœna:

Talia tum tua erant juvenis præludia, PALL-  
LE,

Spe simul & *Robur*, seu legem imponere verbis,  
Et numeris vincire suis, seu voce solutâ  
Didere flexanimæ cuperes miracula suadæ,  
Crevit utrinq; tua hæc magmenta per omnia Fa-  
ma.

Delato *Philuren* virtutis ad edita pandunt  
Ductores tibi templa viam, conspectus in ore  
Spiritus, & roseo manifesti in corpore mores,  
Et latus ingenuæ *Charites* stipâre, nec ora

Dulcia

Dulcia deseruit *Peitbo* facunda labello.

*Leucorin* hinc rapuit *Sophie*, suscepit alumnum  
Vt quæ supremos sola asservârat honores;  
Hic tibi se totam *Pallas*, magna illa Magistra  
Exhibuit, docuitq; vago labentia cœlo  
Sidera, quid *Zonæ* cœli, septemq; triones,  
Quid vehat obliquus stellato balthus auro,  
Et quicquid subtile fovet rationis acumen.  
Accedunt artes variæ certamine longo  
Ad sunt, ROBERUM pro se se vendicat una-  
Quæq; sibi, & plenis ostentat præmia palmis.  
Vna omnes superat divini copia verbi,  
Fandi Diva potens, morum Regina, animæq; ,  
*Theologia*, & doctâ ROBERUM vindicat arte,  
Eloquioq; suum: Castris dignissime nostris,  
Excellens animi juvenis, cui Rostra supremus  
Præparat *Albigenis*, en me me respice dulci  
Nectare perfusam, cœlestia dicta ferentem:  
Illa ego sum mores Epicuri exosa, profanum  
Urbibus esse procul jussi, rituq; ferarum  
Degentes populos mihi relligione ligavi,  
Illa ego quæ sanctis propono arcana libellis,  
Scripturæ genium, veterumq; oracula vatum  
Enucleans; Rerum quis sit sator ille parensq;  
Terrarum, refero, nullo ut de semine cretum  
Ante chaos vacuum, cœliq; ante astra profundi;

B 3

Vt

Vt Patris è gremio teneram de lapsus in alvum  
Virginis, in lucem mortalibus editus infans,  
Dissitaq; æterno conjunxit fœdere Natus;  
Illa ego monstro vias ad vitam & regna paterna,  
Quæ quondam obstruxit primævi noxa parentis.  
Me decorant falces & picto purpura textu,  
Gloriaq; , & cavæ plausus comitantur euntem.  
Dixit; & imprimis defendere Numinis aras,  
Largifluo sermone reos absolvere mandat.

Haud mora, ROBERUS confestim dicta ca-  
pessit

Impiger, exequitur celsæ mandata parentis,  
Deq; novo roseis scintillant ora labellis.  
Templa sonant verbis, & grandis fulmine linguæ.  
Halæ fumosæ primus tibi muneris ordo  
Nascitur, hîc almi primordia sacra ministri  
Incipis, inde tibi decorum seges ampla resurgit.

*Ensigneri* indultu, diâq; instinctus ab aurâ  
Fis cathedræ columen, nostriq; beata voluptas  
Templi, Te VVITEBERGA tenet trieteridas o-  
cto,

Et se stellifero tollit, Te Præsule, cœlo,  
Proh! cuinam ROBERE, tuis non fervida donis  
Pectora concaluere, fibræq; in viscere motæ?  
Spiritus en! cui non per te divinus in ossa  
Accersitus erat? non sic dulcedine læta

Carmi-

Carminā, non numeri docto Panthæaq; nervo  
Barbita contraxere feras, & Strymonis alveum  
In caput averlum trulere, sonumq; secutos  
Duxere ad votum lapides, ornumq; vetustam,  
Et quercum annosam radicibus extirparunt.  
Tulanè Ambrosium stillabas nectare cantum,  
Aurea, nec parcè mulcentia pectora & ora,  
Distento latè fundebas munera cornu.  
Quod si vota DEO fuerant facienda precantis,  
Et puris celebranda animis pia Numina, Eorum  
Dona fatigabas precibus fer vore peractis,  
Frigidus orator quid fert nisi frigida vota;  
Fervidus orator non fert nisi fervida vota.  
Seu cupis in templis, quæ sint oracula vatum  
Reddere, grandisonā das voce altissima verba.  
Non minor hîc tua laus ROBERE, nec infima cedit  
Palma, fuere tibi Ambrosianæ fulmina linguæ  
Cum sit opus juvenum projectos stringere mores  
Et fremere in rabidum flammato pectore vulgus,  
Seu dabachantes depellere mœnibus ausis;  
In cunctos armas linguam, sunt aspera præstò  
Dicta, quibus sartum tectumq; tueris honorem.  
Non horres aulæ proceres, mundiq; potentes,  
Non metuis doctos; sed linguæ tela micantis  
Intrepidus vibras, divino filus alylo.  
Quippe homini juxtà superisq; est cura sacerdos!  
Alte

Altera, GREGORIUS, sūbit hinc mihi cura, serenā  
Magnum fronte decus Patrum placidissimo ab  
alto

Cui migrant Helicone Chori, iuvat ora tueri,  
Cujus amor facilis, mores, & fama perennis  
Astra super tendit, Lunam ultra, ac in via mundi,  
Ultra anni, solisq; vias, cœlumq; profundum.  
Non potuere unquam saturari corda figurâ  
Diâ, non oculos pavit latis ille sereni  
Flammeus oris honor, placidæq; modestia fron-  
tis.

Hinc mihi GREGORII, laus est, hinc gloria per-  
pes.

ROBERI documenta animi, morumq; le-  
pores

Adducam licet hūc plenis date lilia palmis.  
Multis alta placent, multi de scribere gaudent  
Multiplices errore vias, quas explicat æther,  
Sideraq; tractusq; maris, terræq; meatus,  
Et quæ cantârunt centum argumenta priores.  
Hæc illis cantanda damus. Mihi candida morum  
Immensum præscribit opus; pulcherrima virtus,  
Ore verecundo celans sua dona, decusq;  
In magno laudum cumulo, vario agmine rerum,  
Hæc dabit in liquidos attollere luminis auras  
ROBERUM, V Viteberga tumet quo præfule dudum.  
Hæc



Hæc omnes superat laudes, hæc aurea vincit  
Sceptra ducum, humanæ supra fastigia sortis.  
Quantus honor vultus, quanta & reverentia  
frontis,

Ad cathedram quoties æterni iussa Tonantis  
Dicturus graditur roseo spectabilis ore  
Angelicus Rhetor, divino percitus oestro!  
Quam defixa hæret pubes, & ab ore docentis  
Pendet! verborum tenero depastus amore  
Quisq; DEI bibulas effatum mittit in aures.

Vna illi facies, ast humanissima semper,  
Sive sacerdotis sub tegmine purpuret aureo  
Illum vitta, foret seu conspiciendus ab ullo  
Obvius in plateâ, solenni more salutat  
Quemvis, quin primus bona dicere verba salutis,  
Et niveas orare dies, & candida semper  
Tempora, & innocuis peragendum solibus ævum.  
O nitidum, pulchrumq; decus, diademata vincens!  
Num sic gemma micat, quam circulus aureus  
ambit?

Numquid ebur terebintho inclusum, aut lilia cal-  
this

Immista, aut stellas inter Diana minores?  
Illi cana fides & morum candidus ordo,  
Illi mens humilis, quæ quamvis culmina honoris  
Exuperat, nusquam dat de se signa superbi.  
Sic gente *Isacidum* Patres fecere vetusti;

C

Sic

Sic Germanorum laudantur pectora mille;  
Sic humilis placet & Genijs, hominiq; , Deoque!  
*Bellarmino*, cui pudor exulat omnis ab ore,  
Itenebris damnate tuis, liventia flecte hûc  
Lumina, & expertes pietatis dicito cunctos,  
Qui *Lutheranorum* profitentur dogmate nomen.  
His adeò munitus adest, hoc agmine septus  
Virtutum ROBERUS, in it fastigia summa,  
Integer & vitæ ROBERUS, & integer ævi,  
Has delere notas poterat, mendacia famæ  
Irridens. Non hicce dolos prætexere risu  
Noverat, aut simulare fidem, mentemq; nocen-  
tem

Protegere, & verbis intendere funus amicis.  
Quâcunq; incedit, paribus vestigia ponit  
Simplicitas gradibus, procul illo luxus aberrat  
Depopulator opum, pariter malè suada libido,  
Et furor & multæ mater discordia litis.  
Pallia textilibus nec amabat picta figuris,  
Ostrea spernebat Gaurana, assuetus inemtis  
Frugibus & dapibus mensas onerare per annum,  
Contentus paucis. O prisca modestia vitæ!  
Ad Cœlum sic natus homo, sic factus ad altæ  
Sceptra domus, fictus supremi ad regna parentis,  
Divite post habitâ mensâ lxxuq; superbo.

Sic quoties opus est mortales claudere lites,  
Aut leges munire bonas, se vindice mentes

Robe-

ROBERUS potius restingere flumine linguæ,  
Eloquio mulcere feros, gravitate movere,  
Turbidus irarum quàm fulmina fundere mavult.  
Ad fuit hîc etenim mansueta modestia, ritûs  
Agrestes exosa hominum, suadendo salubres  
Leges, stat placido mentes sermone ligare.  
Quippe hoc ingenitum linguæ, Facundia suadet,  
Et decor & gravitas, Pietas, Prudentia, & Vîus,

Insequeris porrò mera laus, mera fama, pe  
renni

Fronde coronandus, *Præsul sanctissime*, salve,  
Seu mavis dicam Augusto denomine nomen,  
Augurio dextro, seu dîci *Aurelius* optas;  
*Eusebie* assurgit, *Museq;* ad nomen utrumque,  
Accaput æterno venerandum sidere cingunt.  
Nempe vir hic sanctus sublimibus æthera pennis  
Invehitur, studio divini dogmatis actus,  
Liber agit, nubes supra, vaga sidera supra,  
Supra Euri, Zephyriq; vias, solemq; comantem,  
Alitis in morem fastigia summa petentem.  
Hic locus, hæc sedes decorum, hîc seges aurea sur-  
Ingenij, humanæ supra molimina sortis (git  
Hoc duce victus abît *Manichæi* pestilis ordo,  
Qui salvatoris meritoria facta negarunt,  
Grande nefas dictu! sed contra *Aurelius* hostes  
Aggreditur, socium hocce genus convincere falsi

Erroris, vicit, fregitq; ferocia monstri  
Corda, volente Deo, promptus victricibus armis.  
Nam stabat coram coelesti *Diva* parente  
*Relligio*, lacrimis oculos suffusa nitentes,  
Tristior, ad quem se convertit supplice vultu:  
O pater omnipotens, qui res Cœliq; soli q;  
Æternis regis imperijs, qui tempora servas;  
Quid quælo totus potuit committere mundus?  
Quid potuere sibi infantes? ah! quid rude vulgus?  
Tunc meis populis nec dum volventibus annis,  
Jugia salvificæ fidei documenta negare?  
Quando cadet tandem trucidis hæc blaphemia

*Fausti?*

Num vigeat malè sana cohors, excindere prorsus  
Æternum tentet verbum, stabilireq; dogma  
Pestile? quem finem dabis, ó Pater alme furori?  
Illi subridens rerum moderator, amante  
Quo solitus vultu concedere vota rogantum,  
Respicit, & mœstæ fatur solamina Natæ:  
Solve metum, mea Nata, tuasq; remittito curas,  
Stabunt inconcussa, Tibi decreta, tuisq;  
Quæ sum pollicitus, neq; me sententia vertet.  
*Aurelius* sacra bellageret, contundet hic hostes,  
Atrata cæcas mentis caligine gentes  
Ad veram lucem, solemq; reducet apertum,  
Quas stygijs technis indignabunda fatigat  
Hæresis, ejicienda procul, fugienda novâ vi.

Scilicet

Scilicet hoc ipsum tuâ provida cura peregit,  
O Deus, hæc eadem Cæli demisit ab axe  
*Aurelium* rapido stimulatam pectora motu,  
Per ferrum, per mille ruit discrimina forti  
Pectore, & adversis doctum caput hostibus offert.

AURELIO similem si te ROBERE, saluto,  
Avius à vero non sum, sententia perstat.  
Hic est ROBERUS, cui summum mentis acumen,  
Cui tot sublimes concessit ab æthere dotes  
Omnipotens Genitor, qui Cœlica dona ministrat.  
Illi erat ingenuæ felix opulentia mentis,  
Illi animus sapiens, genijq; uberrima dona,  
Nulla mali labes; cane pejus & angue cavebat,  
Quæ nova nonnulli tunc argumenta movebant  
Ante obitum paulò, quoniam tum gliscere cœpit  
Hæresis indignata alios, dudumq; *Lutheri*  
Hæredes turbare volens consulta nefando  
Corde coquit, tacito technas sub pectore versat.  
In quos ROBERUM generosior impetus iræ  
Armat: Num fas est divum monumenta revelli?  
Numne ferenda Deo gravis hæc injuria, CHRISTO  
Illatumq; probrum? Contemto Numine sancto  
Siccine cuiq; novas fraudes audere licebit?  
Perpetiere tuum, bone CHRISTE, labascere ho-

norem,

Et sic contemni facili certante cachinno?

Quos Tu. non AUGUSTINI hæc sunt dogmata Patris.

C 3

Quam

Quam pius hic docuit *Triados* mysteria sanctæ:  
*Æthereum Patrem*, æternoq; simillimum *Amorem*,  
Quod priscis patefacta viris, cantata priori  
Seculo? adhuc simulacra licet tum cernere visi,  
Nunc nobis expressa notis, clarisq; figuris.  
Sic radij Phœbi, sic tela corusca diei  
Conspicimus, quæ prisca suo de fonte nequibant  
Usurpare oculis nativâ secula luce.

Non *merito* AUGUSTINUS ovat, cœlumque re-  
poscit,

Aut stygiam erasisse domum, sine sanguine CHRI-  
Purpureo credit veteris contagia culpæ (STI  
Esse pianda illi, qui proluit omne nefandum.  
Salvatoris enim vult vulnera, brachia & inter  
Vivere, tranquillâ vel pace quiescere tandem.

Sic quoq; ROBERUS moriens memorabi-  
le verbum:

Vt per ego gemitus CHRISTI, per vulnera server,  
Vulnera quina ejus clavo patefacta trabali,  
In trabe quadrifidâ quondam pendentis JESU,  
Dulce canit, cygnea exercens guttura cantu,  
Fessus & extremo declinans lumina somno  
Pascit amore avidam CHRISTI inter brachia  
mentem,

Hoc porrò AURELIUS: se non ita tempora vitæ  
Translegisse refert, ut sit sibi fortè pudori,  
Se tamen haud quaquam non expalleſceremortis

Nomen

Nomen, namq; bonum Dominum, nos inquit,  
habemus.

Hæc quoties memini ROBERUM verba citare:  
Servitio si fortè meo prodesse popellis  
Vlterius potero, placatum Numen adesto,  
Et numerosa traham vivacis fila senectæ;  
Sin minus, idq; sedet fixum, atq; hæc certa Deo  
mens,

Vt minuar sensim, *Fiat tua*, CHRISTE, *voluntas*,  
Me servare potes, potes & me tradere morti.

Sed tandem & vitæ laudes, celebrandaq; Patris  
Facta recordabor, sacro qui nomine nomen  
Obtinuit meritò, quo vix industrius alter,  
Quem peperit *stridon* quem *Dalmatis* ora docentem,  
Ac quem *Bethlemidos* tenuerunt mœnia parva,  
Dives Avis sanctis terrarum maxima salve,  
Tu mecum, dum reddo tibi tua præmia laudis,  
Ingredere, Heroëm q; tuum cognosce, nec atris  
Obductum patere in tenebris, umbrâq; latere.  
O nimium felix HIERONYME, singula quippe  
Quæ decorant alios, te constipata corona t,  
Non tibi Castalias diductum carmen ad undas  
Sufficit, ullius Vatis solertia, nedum  
Carminis hinc nostri, totus cui murmurat æther,  
Et canit in numerum resoni concordia Cœli.

Ast tua non repetam nunc omnia seq; parata  
Queis prodis documenta animi virtutibus undi-  
Quaq;

Quaę; coruscantis, laudum momenta tuarum,  
Sed labor hęc cantandus erit, tolerantia summa,  
Nocte dieę; lacris super impallefcere Chartis  
Assueta. Ięta micant dio pręcordia motu,  
Si datur evolui sinuosa volumina verbi,  
Rimari illius riguo penetralia sensu.  
O utinam mihi fas celeberrima dicta referre,  
Sacra quibus felix interpret *Biblia* vertis!  
Non hominem labor ille probat, sed ferrea passim  
Vis, caput, atę; manus consueta labore patescit.  
Et velut in magnis signis, uti tangere celsum  
Non datur Indigitum caput, hęc deponitur imos  
Ante corona pedes: sic nos **HIERONYME** san-  
cte,

Ante tuos tibi lemma pedes deponimus hocce:  
Perpetuis *Pater* hic sacrauit pignora Chartis  
Mortali non struęta manu, quem laudibus aptũ  
Evehit, egregijs ornans conatibus orbis.

Huic nos Te similem tandem **ROBERE**, fa-  
temur.

Affiduo quoties volventem scripta labore,  
Et sua perpetuo repetentia munia cursu  
Vidimus, illius juvat hęc meminisse supremũ.  
Non mora, non requies Tibi, pergis qualibet  
horã;

Seu capienda forent demensa diaria victus,  
Seu laxanda iterum nocturno tempore membra;  
Non



Non tibi tam curæ mens est, non fercula, somnus,  
Mens aliò intenta est, aliò mens omnis oberrat.  
Arboream quamvis solidato robore stirpem,  
Cum ruit Æoliâ ventorum ductor ab aulâ,  
Fortiter exagitat, frondesq; subinde revellit;  
At nihil illa tremens, sed conquassata resistit,  
Se nisu valido sævis Aquilonibus offert:  
Sic quoq; ROBERUS molimina cuncta repellit.  
Læva subinde etiam quamvis fortuna recurrit,  
Ille tamen redijt superato victor ab hoste,  
Victrices referens felici sorte corollas,  
Nescius imparibus fortunæ cedere ludis.

O fortunatam *Witebergam!* præfule tanto!  
O & felices cathedras, illustribus olim  
Quas meritis, donisq; suis ROBERUS adauxit.

Ast, ceu nulla diu præstat fortuna favorem;  
Sic stabile in mundo nihil est mortalibus ægris.

Nam cupis extra Urbem Spartæ indulgere,  
tuosque

Perlustrare studes, populo præconia Pacis  
Sperata indicens sincere pectore promissis  
Grates, Autori, pro tanto munere, CHRISTO.  
Corriperis morbo in reditu, vis frigoris arcem  
Ingenij invadit, violat, miserabile visu,  
Consumitq; morâ paulatim, & inertia reddit  
Munera, sermones sacros intercipit omnes.

D

Qualis

Qualis ad immitem violarum purpura ventum  
Deponit moribunda caput, mox succuba totis  
Immoritur terræ folijs; qualis ve rosarum  
Expirat candor, subiti quem frigoris aura  
Læsit decutiens; Afflatu sic cadis uno  
*PAULE*, cathedrarum pridem Clarissimus Heros.

Tu memor hujus eras semper, pro more di-  
urnâ

Nocturnâq; manu quæcunq; volumina volvis,  
Mortis imago tibi occurrit, premiturq; sigillo,  
Vt tibi perpetuos testes, monumentaq; mortis  
Subjiceres oculis. Sic à statione graduq;  
Vivida vis animi, post tædia longa laborum  
Libera abit vinclis, petit ardua culmina Cœli,  
Et simul evincit cineres, mortiq; superstes  
Effugit alta rogos, illustris fama perennes  
Restituit menses, & longos prorogat annos.  
Non hîc anxiferæ curæ, non tristis Enyo,  
Felices sine labe dies, æternaq; secla  
Ducuntur, pleno capitur de fonte voluptas.

Nos verò triplex uno sub Numine Numen,  
*JOVA*, tibi meritò grates, totosq; fatemur  
Indultos animi cultus, dum sufficis illi  
Magnificâ Virtute virum, famâq; celebrem  
*CALOVIIUM*, dignum quem cuncta fatebitur  
ætas:

Ne

Ne porrò radijs has dedignare cathedras  
Illustrare tuis. Vireat te Præside *Ruta*  
*Saxonica* pia *Ruta* domus, *Witeberga* venenum  
Nesciat Hæreseos: Vigeat VVELLERUS in aulâ,  
Et novus hic Præsul: *Roberi Nomina* crescant,  
Quantum fronde suâ succrescit cedrus ad auras.  
Qualis palma comas ostentat stirpe virenti,  
Et sint perpetuùm ROBERI robore firmi.  
Sacra, Forum, fasces, Artes, Linguæq; perennent,  
Hæcce *Professorum* series, pubesq; diurnet,  
Transmittatq; secuturis tua munera seclis.

At tu sancta anima, ætheræ pars aurea sedes,  
ROBERE, ò ROBERE, vale, nos te ordine porrò,  
Quando *Jova* vocat, læti facilesq; sequemur.

Iple tuam intereà tumbam exornabo co-  
rollis,  
Quas juxta inferias statuam de more quotannis,  
Atq; altâ nomen voce inclamabo, piasq;  
Desuper inspergam lacrimas. Nunc accipe car-  
men,  
Quod ROBERE, tibi post annua funera DIXI.

F I N I S

Zd 6658 OK

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

VOR

M.C.



QK 268

ELO

Quatr

DN. PA

Theol. D

ftori

Virum de

A

M. JA

Typis

UM.

doctores

CRUM,

em, Consi-

xonici

meritum.

resuli

vit

ANNUS,


d. Typogr.

Z d  
6658

175

212

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
LEIPZIG  
KUNSTGEWERBESCHULE  
LEIPZIG



TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

